Fragmentarium

et probitas eorum que magna dei dona sunt.
sufficit eis ad ueram felicitatem qua et ista
uita bene agatur et postea percipiatur
eterna; In hac ergo terra regnum bonorum
non tam illis prestatur quam rebus humanis.
Malorum uero regnum. magis regnantibus
nocet qui suos animos uastant scelerum
maiore licentia. his autem quibus serui
endo subduntur non nocet nisi iniquitas
propria. Nam iustis quicquid malorum
ab iniquis dominis inrogatur. non est
poena criminis. sed uirtutis examen;
Proinde bonus etiam si seruiat liber est.
malus autem etiam si regnat seruus est.
nec unius nec hominis. sed quod est
grauius tot dominorum quot uitiorum.
De quibus uitiis cum ageret scriptura di
uina. a quo enim quis inquit deuictus
est huic et seruus addictus est; Remota
itaque iusticia. quid sunt regna nisi
magna latrocinia. quia et latrocinia
quid sunt. nisi parua regna. manus
et ipsa hominum est. imperio principis
regitur. pacto societatis adstringitur
placiti lege preda diuiditur. Hoc
malum si in tantum perditorum hominum
accessibus crescit. ut et loca teneat.
sedes constituat ciuitates occupet.
populos subiuget. euidentius regni
nomen adsumit; Quod etiam in manifesto
confert. non dempta cupiditas. sed ad
dita impunitas; Eleganter enim et uera

citer. alexandro illi magno quidam
conprehensus pirata respondit; Nam cum
idem rex hominem interrogasset quid
ei uideretur. ut mare haberet in
festum. ille libera contumacia. quod
tibi inquit ut orbem terrarum. Sed quia
id ergo exiguo nauigio facio. latro
uocor. quia tu magna classe impera
tor; Proinde omitto querere qua
les romulus congregauerit. quoniam mul
tum eis consultum est. ut ex illa uita
dato sibi consortio ciuitatis poenas
debitas cogitare desisterent; Quarum
metus eos in maiora facinora propel
lebat. ut deinceps capaciores essent
rebus humanis; hoc dico quod ipsum
romanum imperium iam magnum mul
tis gentibus subiugatis ceterisque terri
bile. acerbe sensit grauiter timuit.
non paruo negotio deuitande ingen
tis cladis oppressit. quando paucissi
mi gladiatores in campania de ludo
fugientes. magnum exercitum compa
rarunt tres duces habuerunt. ita
liam latissime et crudelissime uasta
uerunt; dicant quis istos deus adiuuerit.
ut ex paruo et contemptibili latrocinio
peruenirent. ad regnum. tantis iam roma
nis uiribus arcibus que metuendum; An
quia non diu fuerunt ideo diuinitus nega
buntur adiuti. quasi uero ipsa cuiuslibet
hominis uita diuturna est; Isto ergo

R.F.

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, NAL 2317, 9r – Augustinus Hipponensis, De civitate dei (https://fragmentarium.ms/view/page/F-b4ez/4073/42500)